

dam suam ignorantiam prodit: quòd stellarum distantias inquirendas esse putet ex illarum declinationibus. An non hìc se manifestè prodit, quòd ignoret quid sit stellarum declinatio, quid item distantia, & per quem circulum magnum illa inuestigentur? Turpis profectò & fœda nimis est ista ignorantia: sed tanto fœdior, quòd stolidæ ambitioni sit coniuncta, quam tamen desino persequi. Quicquid hìc maculæ veritati pulcherrimæque arti ab hoc nouo Astronomie fabricatore aspersum est, id omne tyronibus artis detergendum ac vindicandum relinquo.

Quartam rationem vibrat hanc: Quòd nulla alia stella detur, excepta illa undecima, quæ sit inter 4 & 7 gradum Tauri, & habeat declinationem 60. 61. aut 62. graduum: propterea non aliam esse posse quàm undecimam. Hæc ratio eadem propemodum est cum priori, & æquè falsa. Nam aliam stellam 1. gradu, 24. scrup. ab undecima distantem iam ostēdimus, & nostra obseruatione comprobauimus. Itaque frustra quærit Raimundus, inquiens: Si hæc stella noua est, quo se vertent stella Cassiopeæ? Frustra etiam petit sibi dari aliam, quæ ab undecima illa paulò minus duobus gradibus distet.

Quintum argumentum affert ab authoritate Higiniij, quòd is in suo libro hæc scripserit: In quadrato qua stella deformatur in angulis utrisque clarius cæteris lucentes. Ex quibus verbis Raimundus colligit modernum iubar esse ex illarum stellarum numero, quæ in quadrato, qua parte stella cõstituitur, in utrisq; angulis cæteris clarius effulgent. Sed hunc sensum ego ex verbis Higiniij elicere haud possum, neque di-

que di-